



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae a Villanova, Cognomento Eleemosynarij

Romae, 1658

Franciscus Nerlius Archiepiscopus Florentinus Assistens.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9857

saem triumphat coronatus. Quo intercessore tot miracula operatus est Deus, mirabilis in Sanctis suis, vt dignus profecto videatur, qui in Coelestium albo à S. Vestra, Diuino fauente Spiritu, describatur.

**Fr. Dominicus de Marinis Archiepiscopus
Auenionen. Assistens.**

Beatissime Pater. Glorietur Iob secum natam ex vtero misericordiam, secum litidem creuisse ab infantia; verum Beatus Thomas à Villanoua his insuper addat, eandem secum consensuisse, & quasi vltra ianuas mortis fuisse subsecutam: quando & lectulum, in quo sanctè expirauit, iam inopi donarat, moriens tanquam in alieno. Hunc secundum dixero Ioannem Eleemosynarium, nec fallar. Denique vita ipsius, quacumque parte inspicitur, prodigium est. Agnosco igitur Magni Augustini magnam prolem, cuius in suo Ordine rigor, ac zelus, dubitare me non sinunt, dignissimum esse B. Thomam, qui Sanctorum albo accenseatur.

**Ioannes de Torres Archiepiscopus Salernitanus
Assistens.**

Cum Thomas de Villanoua sanctissimus Antistes, non modo omnium virtutum zona lumbos sibi præcinxerit, sed miraculorum quoque splendore, lucernas gestauerit in manibus, adeoque admissus sit ad nuptias Agni, nefas omnino sit, aris illi decernendis non suffragari. Hoc interim enixè rogando, vt nimirum Deus Optimus Maximus tanto Ecclesie suae addito intercessore, optatam nobis tranquillitatè largiatur, & pacem.

**Franciscus Nerlius Archiepiscopus Florentinus
Assistens.**

Tantum admirandarum virtutum, & Sacerdotalis lucis iubar, si S. Vestrae visum fuerit, super Candelabrum Sanctuar-

rij collocari, è re totius Ecclesiæ fore censerem, quò longè latè-
què omnibus, qui in domo Dei sunt, & præcipuè sacri Ordinis
nostri viris præluceat; fortioribus ad imitationem egregiam; in-
firmioribus, quorum plane vltimus ego, vel ad humilitatem
salutarem.

Iacobus Altouiti Archiep. Athenarum. Assistens.

Quæ legi, quæ audiui ad Beatitudinem Vestram relata de
Beati Thomæ à Villanoua admirabili sanctitate, proprijs
oculis aspexi votiuis tabulis ad eius tumulū expressa,
& incredibili perpetuaquè populi frequentia celebrata. Sinè
vlla igitur hæsitacione in eorum sententiam descendendo, qui tan-
tum Præsulem in Sanctorum numerum referri debere cen-
suerunt.

Ranuccius Franciscus Scottus Episcopus olim Burgi S. Domnini Assistens.

SI Regis Regum Christi Iesu inuiolabili fide statutum est,
quòd quicumque fecerit, & docuerit, hic Magnus vocetur
in Regno Cœlorum; dignus plane est Beatus Thomas à Villa-
noua, qui à Sanctitate Vestra inter eiusdem Regni Magnos ad-
numeretur, cum eius gesta, & opera testentur, fecisse eum mi-
rabilia, & docuisse in vita sua.

Æmilius Alterius Episcopus Camertium Assistens.

Beatissimè Pater. Habet pro se famulus Dei Thomas decre-
tum Spiritus Sancti. Beatus qui intelligit super egenum, &
pauperem. Proferat ergo S. V. de thesauris suis noua, & vete-
ra, & gemmam hanc Sacerdotum, quam in cœlestes thesau-
ros iam diu manus pauperum deportasse certò scimus, in mili-
tantis Ecclesiæ ornamentum exhibere nè differat.

Lau-